

APÉNDICE CUARTO

(PERTENECIENTE AL NÚM. 3830.)

Letras del Emmo. Cardenal Prefecto de la Sagrada Congregación
Sup. Discipl. Regul.

EX S. CONG. SUPER DISCIPL. REGUL.

Itme. ac Rvme. Dne., uti Frater: Difficili Regularium hodiernæ conditioni occurrere satagens, Sac. Congr. super Disciplina Regulari, pro illis Religiosis, qui gratia vocationis destituti, vel de alia rationabili causa muniti, extra claustra degere voluerunt, et tractu temporis vellent, auditis Superioribus Generalibus Ordinibus, maturo consilio, statuit atque decrevit: «Ut ipsis facultas tribueretur manendi extra claustra habitu regulari dimisso, ad annum, quo tempore s. patrimonium sibi constituerent; Episcopum benevolum receptorem invenirent; atque deinde, pro secularizatione perpetua, iterum recurrerent, et interim Sacra facientes, verbum Domini prædicantes, fidelibus populis pia conversatione prodesse valerent.»

Quibus autem dispositionibus jurisdictionis episcopalis nulli subest detrimento; namque Ordinarius invitatus non cogitur illum in suum Clerum cooptare, neque beneficiis ecclesiasticis proponere; sed perdurante gratia concessionis, ejusdemque a Sede Apostolica consecuta prorogatione, ad sancta obeunda ministeria, pro libitu in sua Diocesi habilitare potest, si velit. Neque ullam huic agendi rationi dubitationem infert decretum Auctoris admodum, 1892, quia hoc per regu-

lam generalem afficit Instituta recentia votorum simplicium; ac tantum per exceptionem respicit Ordines proprie dictos, in quibus vota solemnia religiosi nuncupantur. Quæ tamen exceptio, si fieri contigerit, in singulari decreto adamussim notatur, ita ut speciale Rescriptum, ejusque condiciones, legem pro individuo, constituunt; et solummodo ab eo Ordinarius sui agendi rationem querere debeat.

Jam vero, litteris quas, die 4 Julii curr. ann., Amplitudo Tua, ad hanc S. Congregationem mittere existimavit relate ad PP... Ordinis SSmæ. Trinitatis et pro quibus ut ait «quin onera Episcopi benevoli receptoris in se suscipiat, aliquod levamen ipsis offerre desiderat; ideoque licentiam exposcit, ut Ordinem exercere valeant ad suum beneplacitum, etc.»

Hic S. Ordo respondit: «Religiosos ejusmodi esse secularizatos ad annum et interim, etc., ut supra; pertinere ad Ordines votorum solemnium; proinde nisi sint aliqua speciali censura irretiti, nulla ipsi indigent nova facultate, ut sacris misteriis Episcopi auctoritate in respectiva diocesi possint vacare.»

Et hæc dicta sint ut jus et regula agendi in re Tibi proponatur; cui a Deo Optimo Maximo cuncta felicia adprecamur.—Romæ, die 16 Augusti, 1898.—Amplitudinis Tuæ.—Uti Frater Additissimus.—S., CARD. VANUTELLI, Præf.

APÉNDICE QUINTO

De los privilegios concedidos por León XIII á la América latina,
y dos declaraciones auténticas sobre la inteligencia
de los mismos.

LITTERÆ APOSTOLICÆ, IN FORMA
BREVIS, SANCTISSIMI D. N. LEONIS
PP. XIII, DE PRIVILEGIIS AMERICÆ
LATINÆ.

Trans Oceanum Atlanticum ad alteram orbis partem divinæ Providentiæ benigna dispositione per Christophorum Columbum aperto itinere, Ecclesia Dei multa ibi mortalium millia reperit, quos, ut suum munus atque opus erat, a latebris et fero cultu ad humanitatem et mansuetudinem traduceret, ab errore et superstitione ad communionem bonorum omnium, quæ per Jesum Christum parta sunt, ab interitu ad vitam revocaret. Quod quidem salutare munus, ipso vivente adhuc repertore Colombo, ab Alexandro VI Pontifice Maximo, decessore Nostro, inchoatum perpetuo caritatis tenore, ita Ecclesia insistere perrexit, perguit, ut temporibus nostris ad extremam usque Patagoniam sacras suas expeditiones auspiciato protulerit. Campus enim spatium interminatus, cessatione ipsa atque otio ferax, si diligenter subigatur et colatur, fructus edit lætos atque uberes, cultorumque laboribus atque industriæ optime respondet.

Quamobrem Romani Pontifices decessores Nostri nullo non tempore destiterunt ad Americæ culturam no-

vos operarios submittere, quos ut acrius elaborarent præstantioresque ab opere suo fructus demeterent, singularibus facultatibus et privilegiis auxerunt, atque extraordinaria auctoritate et potestate corroborarunt. Quibus freti Missionarii, lumine religionis catholicæ per Americæ regiones longe lateque diffuso, brevi interjecto annorum spatio, in iis præsertim locis ubi novi incolæ ab Europa commigrantes, nominatim Hispani, domicilium sibi sedemque stabilem collocaverant, templa excitarunt, monasteria condiderunt, parœcias, scholas aperuerunt, diœceses ex potestate Summorum Pontificum constituerunt. Ex quo factum est ut Americæ magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguæ haberet et dici possit America Latina.

At illud proprium est humanarum institutionem et legum, ut nihil sit in eis tam sanctum et salutare quod vel consuetudo non demutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in Ecclesia Dei in qua cum absoluta immutabilitate doctrinæ varietas disciplinæ conjungitur, non raro evenit, ut quæ olim apta erant atque idonea, ea labens ætas faciat, vel inepta, vel inutilia, vel etiam contraria.

Quare antiquis privilegiis, temporis decursu vel ex parte abrogatis, vel

alias ut plurimum insufficientibus, singulari Summorum Pontificum largitione, aliæ adjectæ sunt facultates sub determinatis formulis, vel singulis Americæ Latinæ Episcopis deinceps delegari solitæ, vel pro extraordinariis, quibusdam casibus et determinatis regionibus concessæ, quarum series si antiqua privilegia numero et extensione superat, difficultates tamen quæ sunt circa naturam, vigorem et numerum eorundem e medio non tollet. Ad hæc amovenda incommoda decessor noster sanctæ memoriæ Pius IX, datis ad id similibus litteris die IOctob. anni MDCCCLXVII plura ex antiquis privilegiis pro Republica Æquatoris ad triginta annorum spatium confirmavit, seu quatenus opus fuerat denuo concessit.

Quum vero ex monumentis ecclesiasticis, Americam Latinam respicientibus, quæ magna peritorum diligentia collecta atque investigata sunt, probe constet multa ex privilegiis Indiæ Occidentali concessis, partim haud vigere, partim in dubium esse revocanda; Nos qui americanas gentes egregia de Ecclesia Romana meritis singulari amore prosequimur, ad tollendas in re tanti momenti perplexitates et angustias animi, quæ Episcopos illarum diocesium aliosque, quorum interest, non raro exagitant, totum dictorum privilegiorum negotium deferri jussimus speciali Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium; qui post maturam deliberationem novorum privilegiorum catalogum, exclusis catalogis, summaris et recensitionibus in Conciliis provincialibus vel aliter editis, conficiendum censuerunt, confectumque Apostolicæ auctoritate probandum.

Nos igitur, re mature perpensa, pro ea, quam gerimus de omnibus Ecclesiis sollicitudine, eorundem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ne clerus et populus illarum regionum anteactorum privi-

legiorum memoria et usu penitus privati maneant, sententiam tenuimus et quæ infra recensentur privilegia pro omnibus Americæ Latinæ singulisque diocesium et ditionibus de Apostolicæ potestatis plenitudine ad proximum triginta annorum spatium hisce ipsis litteris concedimus. Quare, quod bonum, felix, faustumque sit et universæ Americæ Latinæ Ecclesiæ benevertat, mandamus, edicimus:

I. Ut electi Episcopi in Americæ Latinæ ditionibus commorantes, postquam promotionis litteras Apostolicas acceperint, nisi aliter in præfatis litteris præscriptum fuit, a quocumque maluerint catholico Antistite, gratiam et communionem Apostolicæ Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, consecrationis munus accipere valeant.

II. Ut Concilii Provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitanæ jure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.

III. Ut Episcopi Sacrum Christma, quod ex indico etiam, vero tamen balsami liquore fieri potest, et Olea Sacra conficere possint iis sacerdotibus adstantibus qui adstare potuerint, et, urgenti necessitate, extra diem Cœnæ Domini.

IV. Ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea haberi nequeant.

V. Ut pro omnibus et solis regionibus seu locis, in quibus magnæ distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum perdifficile sit Parochis vel Missionariis ad Baptismum con-

ferendum aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, Ordinarii, nomine sanctæ hujus Sedis, concedere possint Parochis et Missionariis supræ dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionarios in Perusia apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit, quæque in appendice ad Rituale Romanum legitur.

VI. Ut si propter defectum temporis, improbamque defatigationem, alisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere ceremonias pro Baptismo adultorum præscriptas, Parochi et Missionarii, de prævio Ordinarii consensu, uti possint solis ritibus, qui in constitutione Pauli III, *Altitudo*, diei I Junii anni MDXXXVII designantur. Insuper ut in iisdem rerum adjunctis Ordinarii nomine Sanctæ Sedis concedere valeant Parochis et Missionariis usum ordinarii Baptismi parvulorum, onerata in usu hujusmodi facultatis eorundem Ordinariorum conscientia super existentia gravis necessitatis.

VII. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americæ Latinæ nulla excepta, omnes sacerdotes, tam sæculares quam regulares, quamdiu in præfatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti, juxta rubricas Missalis Romani, qua, nempe, commemoratio omnium fidelium Defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum elemosynam accipiant, videlicet, pro prima Missa dumtaxat, et in ea quantitate tantum, quæ a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter præfinita fuerit; fructum autem medium secundæ et tertiæ Missæ non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium

fidelium defunctorum omnino applicent, ad normam Constitutionis Benedicti XIV, Pontificis Maximi, *Quod expensis*, diei XXVI Augusti MDCCXLVIII.

* Para saber el alcance que tiene el breve *Quod expensis* de Benedicto XIV, en cuanto á la censura, después de la const. *Apostolicæ Sedis*, véase la nota al núm. 1938, tomo II de esta obra. *

VIII. Ut omnes fideles annuæ confessionis et communionis præcepto satisfacere possint a Dominica Septuagesimæ usque ad octavam diem solemnitatis Corporis Christi inclusive.

IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et jubilæa, quæ requirunt confessionem, communionem et jejunium, dummodo servato jejunio, si loco inhabitent, ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem.

X. Ut Indi et Nigritæ intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

XI. Ut Indi et Nigritæ quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab Ecclesia prohibentur nuptiæ, pompæ apparatus non adhibeant.

XII. Ne Indi et Nigritæ jejunare teneantur præterquam in feriis sextis Quadragesimæ, in Sabbato Sancto et in pervigilio Natalis D. N. J. C.

XIII. Ut præterea Indi et Nigritæ absque ullo onere, seu solutione elemosynæ, uti possint Indulto, quod Quadragesimale dicitur, et quo fidelis, respectivæ diocesis seu regionis ab Apostolica Sede donatur; ideoque carnibus, ovis et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis, exceptis, quoad carnes diebus in superiori paragrapho XII notatis.

XIV. Ut quodcumque in causis tam criminalibus quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus a sententiis pro tempore latis appellari contingerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum, si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitanano, ad Ordinarium viciniorem absque alio Sedis Apostolicæ rescripto appelletur: et si secunda sententia primæ conformis fuerit, vim rei judicatæ obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illæ duæ sive ab Ordinario et Metropolitanano, sive a Metropolitanano et Ordinario viciniore latæ, conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem ejusdem provincie appelletur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei judicatæ habere volumus, is, qui postremo loco judicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem etiam omisso medio, sive ante, sive post sententiam judicium inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam juris, in usu hujus privilegii omnino servanda erunt sequentes conditiones: 1.º Ut in singulis causis salva maneat cuicque litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi.—2.º Ut in singulis actibus expressæ fiat Apostolicæ delegationis mentio.—3.º Ut causæ majores sint eidem Apostolicæ Sedi reservata ad normam Sacri Concilii Tridentini.—4.º Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quæ in constitutione Benedicti XIV, cujus initium *Dei miseratione*, præstitutæ sunt.

Abrogatis deletisque Auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegii quocumque nomina vel forma ab hac Sancta Sede prius concessis.

Contrariis quibuscumque etiam

speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die solemnæ Paschæ XVIII Aprilis MDCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri anno vigesimo.—A., CARD. MACCHI.

(Acta S. Sedis, tomo 29, pág. 659.)

EX S. C. NEGOT. EXTRAORDINAR.

Declaratio authentica quoad significationem denominationis *Indorum* et *Nigritarum* in Litteris Apostolicis *Trans Oceanum*, die 18 Aprilis 1897. (*De privilegiis Americæ Latine.*)

Ex audientia Sanctissimi.—Die 24 Maii a. 1898.—Cum propositum fuerit dubium, quinam nomine *Indorum* et *Nigritarum* in Litteris Apostolicis *Trans Oceanum* a SSmo. D. N. Leone PP. XIII die 18 Aprilis 1897 editis, intelligi debeant, eadem Sanctitas Sua, referente me infrascripto Sacræ Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis præpositæ Secretario, hæc quæ sequuntur censuit declaranda:

In prædictis Litteris Apostolicis *Trans Oceanum*, nomen *Indorum* et *Nigritarum* eadem significatione sumi ac in cæteris præcedentibus Constitutionibus pontificiis, de hac materia agentibus, speciatim in constitutionibus Alexandri VIII, *Animarum salutis*, diei 30 Martii 1690, et Benedicti XIV, *Cum Venerabilis*, diei 27 Januarii 1757, videlicet:

I. Sub nomine *Indorum* et *Nigritarum*, præter ipsos Indos et Nigritas, comprehendendi etiam eos, qui ex Indo aut Nigrita et ex muliere Europæa (vel europæi sanguinis) nec non qui ex Europæo viro et Indica vel Nigrita muliere sunt progeniti, ideoque *Misti*, *Mestitii* vel *Mulati* vocantur, et absolutam medietatem sanguinis europæi habent. Non autem comprehendendi eos, qui originem ab Indis vel Ni-

gritis ducunt per avum tantum vel aviam, quique *Quarterones* dicuntur, utpote quartam solummodo partem sanguinis indici vel nigritici habentes; et multo minus qui per proavum vel proaviam dumtaxat ab Indis vel Nigritis originem trahunt, et vulgo *Puchuelas* seu *Pucuelles* appellantur.

II. Insuper, *Indorum* et *Nigritarum* nomine, intelligi etiam Africanos, Asiaticos et Oceanios, dummodo ex europæo sanguine non sint, ac in America Latina commorentur, quamvis in ea nati non fuerint.

Et ita Sanctitas Sua publicari et servari mandavit, contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romæ, ex Secretaria ejusdem Sacræ Congregationis, die, mense, et anno prædictis.—FELIX CAVAGNIS, Secretarius S. Cong. Negotiis Eccles. Extr. præp.

(Acta Sanctæ Sedis, vol. 30, páginas 698 y 699.)

EX S. C. NEGOTIOR. EXTRAORDINAR.

Declaratio authentica. De vigore Litterarum Apostolicarum *Trans Oceanum*, diei 18 Aprilis 1897 in omnibus Antillis et ceteris insulis maris Caraibici.

Ex audientia Sanctissimi.—Die 16 Augusti 1898.—Ex parte nonnullorum Antistitum Coloniarum maris Antillarum, propositum fuit dubium de vigore, in territorio suæ jurisdictioni subjecto, Litterarum Apostolicarum *Trans Oceanum* a SSmo. D. N. Leone PP. XIII, die 18 Aprilis 1897 editarum. Eadem Sanctitas Sua, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis præpositæ Secretario, declarandum esse censuit: «Prefatas Litteras Apostolicas *Trans Oceanum* vigorem habere in omnibus Antillis et cæteris insulis maris Caraibici, cuicumque civili ditioni subiciantur. Et ita Sanctitas Sua publicari et servari mandavit, contrariis minime obfuturis.»

Datum Romæ, et Secretaria ejusdem S. Congregationis, die, mense et anno prædictis.—FELIX CAVAGNIS, Secretarius.

(Acta Sanctæ Sedis, vol. 31, p. 128.)

APÉNDICE SEXTO

(CORRESPONDIENTE AL NÚM. 3708.)

Facultates quinquennales quæ Episcopis concedi solent,
absolvendi a censuris.

CENSURA	CONDITIONES	SERVANDA
1.º Ob manus violentas.	Non sequuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio; neque casus ad forum deductus	Quæ a jure (1).
2.º Ob duelum	Casus ad forum non deductus	Gravis pœnitentia et quæ a jure (2).
3.º Ob hæresim	Non publici; neque publicæ dogmatizantes	Denuntiatio, adjuratio, traditio (3).
4.º Ob violationem clausuræ	Non cum malo fine, neque casus deductus; et quoad mulieres violentantes casus occultus.	Pœnitentia et prohibitio accedendi (4).
5.º Ob lectionem librorum	»	Congrua pœnit., traditio (5).
6.º Ob accepta numeraria (reservatio sine censura)	»	Pœnit., elemosyna vel restitutio (6).
7.º Ob massonismum	»	Separatio; adjuratio; traditio; denuntiatio, et confessio frequens (7).
8.º Quod reservata regularia	»	»

(1) Vid. tom. III, núm. 3447.
 (2) Vid. tom. I, núm. 532 y siguiente, y tom. III, núm. 3448.
 (3) Vid. tom. I, núm. 369 y siguientes, y tom. III, núms. 3416 y 3420.
 (4) Vid. tom. III, núm. 3450 y 3451.
 (5) Vid. tom. I, núm. 385 y siguiente, y tom. III, núm. 3417.
 (6) Vid. tom. II, núm. 2365, y tom. IV, núm. 3783 y siguiente.
 (7) Vid. tom. III, núms. 3419 y 3448.

Dispensandi ab impedimentis.

CENSURA	CONDITIONES	SERVANDA
1.º A voto castitatis perpetuo	Post contractum. — Ad petendum	Monitio (1).
2.º Ab affinitate post matrimonium contracta, licet primi gradus	Remota occasione	Remota occasione: gravis pœnitentia; et confessio mensualis ad arbitrium (2).
3.º Ab affinitate ante matrimonium contracta ex copula illicita, etiam in primo gradu quando agitur de matrimoniis jam contractis	Copula occulta. Si cum matre, ut precesserit nativitas.—Occasione remota	Renovato consensu gravis pœnit., et confessio mensualis ad arbitrium.
4.º Ab eadem affinitate, si agatur de matrimoniis contrahendis	Ut omnia sint parata ad nuptias, et reliqua uti in præcedenti	Pœnitentia salutaris.
5.º A crimine	Nemine pactante.—Occultum. Matrimonio jam contracto	Renovato consensu; gravis pœnitentia, et confessio mensualis ad arbitrium (3).
6.º A copula illicita reticita in petitione, vel postea habita; tunc in contractis, tunc in contrahendis	In tertio gradu, et infra, —occulta	Congrua pœnit.—Si matrimonium jam contractum, renovato consensu.
7.º Facultas convalidandi litteras nullas ob incestum reticatum, ut supra, vel errorem nominis vel cognominis contrahentium.	»	Congrua pœnit.—Si oratores non pauperes et sint in 1.º et 2.º elemosyna (4).

Respecto de los herejes, la Sagrada Penitenciaría, con fecha 3 de Marzo de 1880, ha dado las declaraciones siguientes:

1.º An in præfata exceptione comprehendantur hæretici publici, quin sint dogmatizantes.—2.º An comprehendantur dogmatizantes non quidem publice, sed privatim, scilicet, modo uno, modo altero audiente; ita tamen ut computatione facta, numerus dogmatizantium deprehendatur valde excessivus?—Resp. Ad 1.º *Negative*. Ad 2.º *Affirmative*, si notorium sit hæreticum prædicti ratione falsa dogmata spargere. (Scavini-Del Vecch., tom. IV, núm. 503.)

(1) Vid. tom. III, núm. 2843 y siguiente. | (3) Tom. III, núm. 2065 y siguiente.
 (2) Tom. III, núm. 3010, 3130 y sig. | (4) Vid. tom. III, núm. 3099.
 Tomo IV. 25